

unus vivus permittitur evolare, alter mactari jubetur. In quibus partim homo peccator et Christus, partim duæ in Christo naturæ repræsentantur.

I. Ergo passer appellatur Christus, quia ut passer velut vilissimus spernitur: ita Christus spretus fuit a Judæis, qui nominant eum *despectum et novissimum virorum*. Et quasi absconditus *cultus ejus et despectus: unde nec reputavimus eum*, Is. LIII. Quinque passeris depondo, i. e. duobus nummis vænibant tempore Christi: et Christus triginta florenis venditus est, homicidæ Barabbæ posthabitus. Passer unus dimissus, alter occisus: ita Barabbas, qui humanum genus designabat, dimissus, Christus occisus est.

II. Solitarius appellatur; quomodo? Quia derelictus fuit a Judæis, dum componeretur cum Barabba; nec unus pro ipso stetit, sed omnes contra ipsum et pro Barabba. Derelictus a discipulis, quia fugerunt. Derelictus ab amicis et notis, quia steterunt a longe. Derelictus a Patre, quia orantem in Oliveto non audiit, crucifixum in summis doloribus dereliquit, nec ulla consolatione perfudit. Derelictus denique a seipso, quia sibi opem ferre noluit, ut nobis opem ferret.

III. Vivus passer cum cocco et hyssopo cedri ligno alligandus erat, eoque sanguis occisi tangendus. Christus Deus et homo ligno crucis affixus est, cocco amoris. Hyssopo propinatum illi acetum in cruce, eo fine, ut fugientem animam diutius in corpore retineret; sicque cruciatus et dolores Christo prolongaret. Sed ubi mortuum viderunt Christum Judæi, adeoque nil amplius pati posse, tunc petierunt eum tolli mox de cruce, ne vel mortuum diu aspicere cogerentur. Vidē nequitiam. Vivus passer naturam divinam, occisus humanam notat.

IV. Passer mactandus, super vas fictile occidi debebat. Vas fictile est Adamus, qui in monte Calvarie sepultus culpa sua fractus, a Christo ibidem reparatus est; prout insinuat, Jerem. XVIII. Ibi invenit pastor ovem suam perditam, et imposuit super humeros suos: ibi mulier, id est, divina sapientia accensa lucerna reperit drachmam perditam: qua reperta extinxit lucernam vite suæ.

V. Mactandus erat collo retorto, ex lege, Lev. I. Christus tradidit spiritum inclinato capite. Primo, ut Adamo infra se sepulto, jam reflecto et reconciliato osculum præberet. Secundo, ut se mori ex Patris obedientia indicaret; q. d. *Ita Pater, quia sic placitum fuit ante te*. Tertio, ut a titulo regis caput abstraheret, qui regnum suum in hoc mundo non quæsivit.

VI. Sanguis passeris, dum mactaretur, in superpositam aquam defluere debebat, sicque aquæ commisceri. Ita Christus post ictum lanceæ de latere suo profudit aquam et sanguinem. Primo, quia præcipua duo sacramenta, Baptismus et eucharistiam, eorumque effectum, qui est expurgare peccata, et sanctificare ac purgare gratia indicabat. Secundo, ut summam amoris sui profusionem nobis ostenderet, qui omnem omnino effuderit sanguinem, et si plus haberet, plus daret. Tertio, ut fideles aqua ablueret, incredulos et impios sanguis condemnaret, ut ait S. Hieronym. in. c. III. Joan.

Vidimus igitur, auditores, velum templi seissum: vidimus sub velo latitantia mysteria Domini passionis; superest nunc, ut agnatum redemptorem nostrum toto pectore prostrati veneremur et adoremus, amemus et glorificemus, etc.

CONCIO II.

SEPTEM CHRISTI VERBA: TOTIDEM DOCTRINÆ ARTIUM LIBERALIUM.

§ I. RHETORICA.

I. Docet rhetoricam primo verbo, persuadens Patri clementiam. — II. Persuasit efficaciter

THEMA.

Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt. Luc. XXIII.

David jam vicinus morti, divino afflatus spiritu cycnæum quasi acroama decantavit, in quo inter alia: *Sedens in cathedra*, inquit, *sapientissimus princeps inter tres: ipse est quasi tenerimus ligni vermiculus*, II. Reg. XXIII. Multum laborant interpretes, quis sit iste princeps? Ego vaticinatum arbitror Davidem de Christo sedente in cathedra crucis, in qua velut tenerimus et innocentissimus ligni vermiculus pependit, juxta Ps. XXI. de passione scriptum: *Ego autem sum vermis et non homo*, in cruce videlicet sapientissimus utique princeps, inter tres, ipsum, inquam, et latrones duos. Ibi sapientiam suam veluti professor in publica cathedra toti orbi tradidit; nec pluribus quam septem verbis, in quibus tamen, si recte expendantur, septem liberales artes modo aliquo docuit, quæ ut olim gratis et in publico Romæ docebantur, ita doctæ sunt a Christo.

I. In primo verbo docuit rhetoricam. Hujus,

munus est, ornata et efficaci oratione aliquid persuadere. Voluit Christus Dominus cœlesti Patri suo clementiam erga reos persuadere: idque fecit tam ardentem quam efficaciter, sicut Aaron, quando posuit se inter vivos et mortuos, Num. LXI. Ardentem, quia petitionem hanc omnibus præmittit velut potentissimam: quia cum lacrymis, Hebr. V. et sanguinis effusione. Quæ plura vulnera habet, de acerbiori primo queritur. Patrem appellat, non judicem, sed misericordem appellans a justo judice; et paterna viscera ei in mentem revocans, Filium utique audientem insinuat. Quis enim petit patrem panem, piscem, ovum, et non auditur? Jam Christus petit inimicos suos tamquam panem suum: tamquam pisces in suam sagenam pellendos: tamquam ova excludenda et vivificanda: cumque esset in maximis tormentis, quasi sui oblitus, pro inimicis suis sollicitus est; et cum jam omnibus membris ligatis, juvare eos non posset, lingua saltem juvat orando. Oratoris est variis e locis ad persuadendum argumenta depromere. Id facit Christus. Et in primo, a Persona Patris, quia allegat paternam benevolentiam utique Filio non negandam. Vult enim dicere: Etsi illi, pro quibus oro, sunt indigni, ego tamen Filius tuus non indignus sum qui audiar, quia semper facio voluntatem tuam. Deinde, memento te etiam esse patrem eorum, qui de facto in me peccant. A judice ergo ad Patrem appellat; unde jam non dicit: *Pater mi*, sicut in horto, sed *Pater*, universalis scilicet.

Secundo, ab exemplo suo, quo Patrem emolare vult ad donandam reis veniam, eo quod ipse etiam ab iisdem offensus, et in duplo quidem, jam eam donarit. Unde non ait: *Dimittamus eis*, quasi ipse adhuc penderet a consensu Patris; sed *dimitte* quasi ipse ex parte sua jam remittat, vel remiserit, vel non magni æstimet acceptam injuriam. Sed quare non explicat, quidnam dimitti illis cupiat? Habet enim verbum *dimitte* suum accusativum. Nimirum noluit accusare illos, voluit proinde addere verbo accusativum: debuisse enim peccatum eorum appellare scelus, nequitiam, sacrilegium, deicidium, et si quid pejus vocari potest. Rursum quia contra omnia decem præcepta deliquerant, omnia accusare debuisset; nullum ergo profert.

Tertio, a ratione; quod nesciant quid faciant. Quales in primis fuere milites Pilati, qui forte omnino non noverunt Christum; deinde, Judæorum plebs, quæ forte justum et innocentem esse solum sciebat; præterea, omnes peccatores, qui etiam nesciunt, quantum Dominum offendant, quantos cruciatus Christo causerint,

quanta animæ suæ damna inferant: denique etiam, modo aliquo pontifices et sacerdotes, qui saltem crassa aut affectata ignorantia nesciebant ipsum esse Dei Filium. Hos ergo, quo poterat modo, excusavit, sicut solet advocatus reorum supplicio afficiendorum crimina, miserorum quæ excusare nequit, saltem extenuat, v. g. furta ex paupertate, homicidia ex ira, adulteria ex ebrietate commissa ab eis esse.

II. Fuit autem efficax hæc oratio; quia impetravit reprobis saltem dilationem pœnæ usque ad 38. annos, quod figuratum in ficu sterili, Luc. XIII. ubi hortulanus pro ea orans utitur eadem pene voce: *Dimitte illam et hoc anno*, referens se ad hoc verbum *Pater dimitte eis*, deinde quia omnibus gratiam specialem, qua converti poterant facile, si vellent, obtinuit. Eo spectabant prodigia: latronis et centurionis testimonia, etc. Ibi tenuit elementa jam ad vindictam parata, ne insurgerent in impios; sicut David sermonibus confregit viros, bellatores suos ne invaderent Saulem et occiderent, I. Reg. XXIV.

« Attende igitur (inquit S. Aug. ser. CLXX. d. temp.) magistrum tuum et Dominum tuum, non in cathedra sedentem, sed in ligno pendentem circumspectis undique turbis inimicorum et dicentem; *Pater ignosce*, etc. » Hanc Christi doctrinam inculcat nobis Paulus ad Rom. XII. *Benedicite persequentibus vos. Benedicite et nolite maledicere*, ut simus imitatores Christi et filii Patris ejus.

§ II. GEOMETRIA.

I. Cælum appellat paradisum. — II. Ostendit ubi sit paradisum. — III. Judicat distantiam paradisi. — IV. Infallibili certitudine operatur.

THEMA.

Amen dico tibi: Hodie tecum eris in paradiso Luc. XXIII.

E liberalibus artibus una est geometria. Qui hanc artem callet, describit in charta regiones, civitates, pagos: earundem speciem, an montosæ, silvis et aquis dotata: item sub qua cœli plaga sita: rursum earum distantiam ab hoc alterove loco depingit. Hanc etiam artem sapientissimus noster magister Christus docuit nos in cruce, et quidem secundo verbo; ubi describit regnum suum, quale sit, ubi sit, quantum distet, maxima certitudine.

I. Depingit quasi in mappa regnum cœlestis,

quod desideravit latro, similitudine et vocabulo terrestris paradisi. Sic laudatur pulchritudo terre Sodomorum, quod esset *sicut paradus Domini*, Gen. XIII. Quemadmodum enim paradus fuit hortus deliciarum omnis generis: ubi perpetua amenitas et cœli serenitas, ubi nulli morbi aut tristitiæ, ubi omnis generis fruges et oblectamenta, dulcissimi avicularum cantus, aquæ limpidissimæ, murmurantes rivi, florum omnium copia, bestiarum omnium obsequium, etc. ita regnum Christi et visio beatifica hortus omnium deliciarum est: ubi lumen indeficiens, nullæ miseræ, gaudia omnis generis eaque purissima, etc. Quid putamus cogitasse latronem, quando audivit donari sibi paradusum? Quid, quando eum aspexit? Ejectus fuit a Judæis e mundo, quasi abortus luce indignus: et colligitur a Christo et ponitur in cœlo. Petiit tantum memoriam sui: et obtinet consortium regni. Claudius Cæsar cum, occiso a conjuratis Caligula, omnia cœdibus impleri videret, se in latebras abscondit, unde protractus a militibus, cum ad necem se quæri putaret, in humeros a militibus sublatus, Cæsar nominatus et in castra delatus est (Sueton. et Joseph. lib. XIX.) cum præ metu et gaudio vix pedibus insistere posset. Simile quid latroni contigisse non vane ominamur.

II. Ostendit nobis, ubi sit paradusus. Scriptura, Genes. 1. ait inde oriri fontem, qui in quatuor capita seu flumina dividitur, Tigrin, Euphraten, Gehon et Phison. Ubi ergo hi quatuor fluvii sunt, ibi erit paradusus: scilicet in Mesopotamia juxta Apameam, ubi Tigris et Euphrates coeunt, et inde mox in quatuor fluvios dividuntur. Vidit Christus e boni latronis corde prodire quatuor flumina. Fidem, quia confitetur et credit ipsum esse regem futuri sæculi. Spem, quia dum alii clamant: *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere*; ipse in eum sperat et ab eo salutem petit; siquidem eum invocatur, ut ejus memor sit ipsumque salvet. Charitatem in Deum, quia Christi innocentiam defendit contra obsecratores, cum periculo majoris sui tormenti: in proximum, quia socium blasphemum reprehendit. Penitentiam quia fatetur juste pati et digna factis recipere veniamque implorat: *Memento mei*. Sufficiant hæc ad salutem cuicumque peccatori, itaque mox ei paradusum designavit Dominus. Ostendit præterea paradusum ibi esse, ubi ipse est, dum ait: *Mecum eris. Ubi enim male poterat esse cum illo, et ubi bene poterat esse sine illo?* ait S. August. tract. LI. in Joan. Ideo in fissura montis Calvariæ non fuit ejus crux a cruce Christi divulsa, uti crux mali latronis. Hinc Paulus cupit dissolvi et esse cum Christo.

III. Indicat eidem distantiam paradisi, et quam cito illuc perventurus sit, nimirum intra unam, aut sesquihoram. Cum enim Christus hora nona obierit, et latro post crurifragium: paulo ante solis occasum utique mortuus est, sic eadem illa die in paradusum translatus est; itaque sine omni purgatorio mox ad gloriam evolavit, quia in cruce per confessionem suam martyr (ut volunt S. Cyprianus et Augustinus) et testis Christi factus est. Insuper ei prædicit, in cruce non multis diebus, imo nec horis, sed brevissimo temporis spatio passurus esset, adeoque post duas horas in paradusum migraturus; quia dum latro fassus est, digna factis recipere, adeoque libenter pro peccatis suis pati, meruit a pœnis citius expediri. Unde et docuit nos quomodo per compendium pervenire ad cœlum, remotissimam alioquin regionem, possimus; nimirum si tunc confiteremur et glorificemus Deum, cum omnes alii negant: et in tribulationibus nostris admodum patientes simus et laudemus Deum, denique si nos ipsos acusemus. Adam, quia se excusavit et Deum oblique accusavit: *Mulier, quam dedisti mihi, etc.* statim eodie ejectus est e paradiso: e contra latro, quia se accusavit, Christum vero Deum excusavit, mox eodem die jure merito intravit paradusum.

IV. Certe et infallibiter operatur, confirmando verbum suum juramento dicens: *Amen dico tibi*. Dubitare enim vel hesitare poterat latro de tam grandi promissione. Primo, ratione personæ propriæ, quæ nihil unquam boni fecerat, sed mala plurima; nec prius noverat Christum. Secundo, ratione personæ Christi, quia tunc ipsemet in cruce cum eo pendens ab omnibus et desertus et spretus, mortem jam expectabat. Tertio, ratione rei promissæ, paradisi scilicet qui ad corpora potius quam ad animas spectabat, et insuper ignotus erat si adhuc superesset. Quarto, ratione temporis, quod *hodie*; cum in cruce solerent communiter ad sextum usque diem affixi vivere. Has ob causas Dominus promissioni suæ asseverationem addidit, ne diffideret latro, sed in spe sua firmaretur. Quam bonus ergo ad largiendum Dominus!

Nos mali et fallaces geometre sumus, terram cœlo majorem facimus; unde de terræ tantum dimensionibus, non de paradiso litigamus. Nescimus ubi sit patria et paradusus noster: in terra illum quærimus, cum in cœlo sit: hic exilium est. Nescimus qualis sit; in divitiis, in voluptatibus, in honoribus illum ponimus, cum in virtutibus consistat. Nescimus quantum a nobis absit; longe remotum putamus cum forte hodie simus ibi futuri. Ergo quia tempus breve

est, et forte hodie finem accipiet, mature nobis consulamus cum latrone, et clamemus: *Memento mei, etc.* ut audiamus: *Hodie mecum eris in paradiso.*

§ III. DIALECTICA.

I. Cur matrem consolatur. — II. Cur mulierem appellat. — III. Cur Joanni matrem commendat.

THEMA.

Mulier, ecce filius tuus. Fili, ecce mater tua.
Joan. XIX.

Dialectica ars disserendi est, qua verum a falso discernimus, illud approbamus, hoc improbamus, quomodo canes ex odore indagant feram, per discursum quasi. In tertio Christi verbo quædam consideranda sunt, an sapienter dicta sint. Quare Christus magister noster exponere nobis debet, quam dialectice locutus sit. Reliquit in his verbis suavissimum odorem: eum ergo investigabimus et curremus in odorem unguentorum ejus, Can. II.

I. Quid opus fuit, ut moriens Christus matrem commendaret. Nam primo, non solent morituri sanos consolari, sed ab iis potius consolationem accipere. Deinde videtur potius hoc verbo sauciasse matrem, dando ei discipulum pro filio, servum pro domino. Ad hæc poterat Christus aliis modis providere matri, et pascere eam, ut Eliam et Paulum eremitam ministerio corvorum. Ergo non opus erat commendare eam discipulo. Respondetur ad primum id decuisse, ut Christus etiam in agone suo ostenderet amorem et sollicitudinem erga afflictissimam matrem. Si enim quoties vidit prius aliquem miserum, cæcum, languidum, hydropicum, laborantem in mare, mox eis succurrit: cur non succurrat matri, videns eam stantem juxta crucem, sibi que tenerrime compatiens: ut ei invicem responderet, quod vel ciconiæ faciunt? Sic enim cap. VII. monet Eccl. *Retribuere parentibus, quomodo et illi tibi*, q. d. tracta eos senes, sicut illi infantem te tractarunt. Vapores a terra elevati, iterum in eam per imbrem et rorem refunduntur. Eduxerunt etiam e luto liberos parentes et pro viribus exaltarunt: æquum igitur, est, ut filii vicem reddant parentibus demittendo senes, et sublevando eorum miseras.

II. Quare mulierem appellat matrem? Cum enim latro eum regem futuri sæculi confiteri audeat, cur ipse non audeat appellare matrem? Unde S. Chrys. in Joan. ait: « O bone Jesu,

quid matrem tuam erubuisti, quæ te tam diligenter nutrit, reverenter tractavit, dūciter lactavit, tam dure loqueris; mulier, inquiens. » Respondetur id fecisse primo, propter se, quia jamjam moriturus matremque deserturus alterum ei filium substituebat. Jam enim ad alterum sæculum tendens ostendit se omnem affectum erga carnem et sanguinem exuisse velut mundo crucifixum, ab eo reprobatum, eundemque reprobantem. Secundo, propter matrem, tum, ne ejus animum appellatione matris, alias afflictissimum magis exulceraret, uti respondet Chry. cit. (Ita Sara coram Pharaone virum suum Abrahamum non appellavit *maritum*, sed *fratrem* suum: sic ab eo instructa, ne ille vitam eriperet, Gen. XII.) tum ne suum contemptum ipsi etiam aspergeret, si tam spreti filii mater vocaretur; tum ne rabidos canes, Judæos et milites, contra eam concitaret, ut vel probris et maledictis, vel aliis injuriis eam onerarent; tum ut ostenderet eam esse mulierem illam fortem descriptam a Sapiente, Prov. XXXI. Stabat enim velut palma, Cant. VII. *Statura tua assimilata est palmæ*. Sic standum in tribulationibus, mente ad Deum semper erecta, non dejecta. Hujus exemplo nos, si et ipsi aliquando a Deo audiamus aliquid tristius, si appellet nos: *Non populum suum*, si pati sinat, non ideo concidamus animo, non desperemus. Iterum brevi audiemus: *Mater et populus meus vos.*

III. Quare potius Joanni, quam alteri discipulo vel conjugi ejus Josepho matrem commendavit? Joannes enim junior omnibus, adhuc adolescens, qui matrem Dei servare poterat? Respondetur imprimis Josephum juxta receptionem sententiam jamjam obiisse, quod ejus opera non amplius eguerit Christus et mater; alioquin si superfuisset, non dubium quin ipsi matrem, ut prius commendasset. Joanni ergo præ cæteris commendari debuit. Primo, quia solus e discipulis tunc præsens fuit. Quantum ergo laborandum, ne occasiones bene agendi negligamus? Documento est Thomas, qui Christum redivivum non vidit, quia abfuit. Secundo, quia virgo virgini commendari debuit, quo et intemerata matris virginitas conservata semper fuisse sciretur: et sincerus ac purissimus amor inter ipsam et Joannem conservaretur. Purissimæ vestes puro reponuntur loco: pretiosa cimelia thecis holoserico fultis asservantur: sic purissima virgo virgini Joanni jure commendatur.

